



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Statv Religionis Christianae, Per Evropam, Asiam,
Africam, Et Orbem Nouum, Libri IV.**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1619

Cap. IV. De Aegypti statu, & Cophitis in ea.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11108

gotiantur Lusitani, & liberum habent Christianæ Religionis exercitium.

Africâ totâ circumnavigatâ, Vascus Gamma, Lusitanus, ex Europæis primus an. 1497. in Indiam, Calecutum vsque, penetrauit.

CAPVT IV.

DE AEGYPTI STATV,
& Cophtis in ea.

AEgyptum, Africæ regionem celeberrimam, Nilus fl. permeat & mirificè fecundat. Eius olim metropolis fuit Alexandria, vrbs ab Alexandro Macedone condita, Patriarcharum olim Alexandrinorum, Regumque Aegypti sedes. Hodie Cayrum, quæ olim Memphis dicta, totius regionis caput censetur, emporium Orientis celeberrimum.

Proprios Reges Aegyptus habuit, ad annum vsque Christi 1517. quo Turcæ provinciam totam occuparunt.

Aegyptum itaque tenent hodie Arabes ac Turcæ: apud quos ignominiosum habetur indigenarum, Aegyptiorum scilicet veterum nomen ac genus.

In Aegypto, præter Iacobitas, maximo numero viuunt Cophti seu Cophtitæ, homines Christiani, qui hodieque circumci-

dun-

duntur. Vnde & sic dicti à quibusdam putantur, vocabulo à Græcis sumpto. Gabriel Patriarcha Alexandrinus, nationis Cophtorum, an. 1595. Legatos suos Romam ad Clementem VIII. misit: quorum fidei professionem Baronius tom. VIII. ad calcem publicavit: quo loco plura de ijsdem reperies. Idem Clemens VIII. Collegium instituit, ad Aegyptios & Cophtos in Vrbe piè educandos. Solet autem Cophtorum Patriarcha in Cayro residere.

CAPVT V.

AETHIOPIAE SIVE ABASSINI Imperij status ac Religio.

INter Aethiopiae partes ea videtur esse praecipua, quae ad Orientem Solem propius accedens, à veteribus Aethiopia sub Aegypto, à Scriptoribus hodie Abassia nuncupatur. Abassini autem Principis imperium sex & viginti regna olim complectebatur, ex quibus hodie non nisi quatuor possidet, Tigrim videlicet, Abagamedrim, Dambeam & Goromam, & his loca nonnulla vicina. Itaque ob regna multa, quibus Monarcha Abassinus olim praefuit, Imperatoris nomen obtinuit: patria